

Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 5

In nomine sancte et individue trinitatis. Rodulfus divina annuente clementia piissimus rex. Quanto liberius et largius militantibus deo opem contulerimus congruum et quod ad cultum ipsius pertinet libenter impertierimus auxilium, credimus a benigno deo multiplicatam nobis reddi in futuro mercedem et in presenti etiam auxilium opportunum confidimus largiri. Qua de causa omnium fidelium sancta die nostrorum videlicet et futurorum industria sciat, quoniam venerandus pontifex Lausannensis ecclesie Boso humillimis clementiam magestatis nostre precibus expostulavit, quatinus, sicuti pluriores ecclesie per Galliam ex largitate imperatorum et regum habent liberam in elegendo pastorem potestatem, ita et nos dono benignitatis nostre supra nominate sancte ecclesie Lausannensi, cui ipse preesse videbatur, libenter indulgeremus. Cuius denique petitionem deo hominibusque acceptam prono suscipientes animo has litteras per auctoritatem regiam facere ob honorem alme dei genitricis Marie et emolumentum anime nostre regnique nostri tranquillitatem iussimus, constituentes omnimodis, ut, quando proprium rectorem morte interveniente filii frequenter prelibate Lausannensis amiserint ecclesie, habeant liberam potestatem secundum canonicam institutionem eligendi sicubi dignius repperiri voluerint de propria ecclesia pastorem. Si autem, quod non obtamus, in eadem ad hoc opus idoneus minime fuerit repertus, de convicina ecclesia petant sibi dari, tantum ut nullus ibidem consecratur nec preponatur nisi qui a clero et populo sancte ecclesie Lausannensis fuerit electus. Si quis autem aliter agere temptaverit, apud dominum et sanctam Mariam sit reus. Ut ergo hoc privilegium inconvulsum per cuncta secula conservetur, manu nostra subter firmavimus et de anulo nostro sigillari fecimus.

Almavuinus notarius advicem Vualtharii archicancellarii recognovi.

Data V kl. feb. anno ab incarnatione domini DCCCXCV, anno vero domni Rodulfi regis VIII, indictione XIII.